

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, *manè diſcutienda in Scholis, Medicorum, die Sabbati, vigeſimo-ſeptimo Martii,* *Anno Domini* M. DCC. XLV.

M. JOANNE-DAMIANO CHEVALIER, Conſiliario Medico Regis ordinario in Inſulâ Sancti Dominici, Doctore Medico, Præſide.

An Vini potus Salubris?

I.



AD conſervandam ſanitatem multa concurrant neceſſum eſt; ad evertendam quàm pauca ſufficiunt! Unius ex rebus non naturalibus abuſu athletica quandòque ruit valetudo. Plerique tamen homines lethum ſibi maturant, in eligendo vivendi genere, ſibi duces cæci. In causâ eſt præjudicata opinio multorum animis inſculpta: Vitam opinantur miſeram quæ medicinæ præceptis ſubjaceat. Quàm turpiter errant! Medicinæ pars eſt definire quos juvet *nullis obligari legibus; nullum cibi aut potulenti* *Cels. lib. 1. cap. 1.*

genus fugere, laborare, quiescere, ruri aut in urbe esse, vigilare, &c. Artis est & eos dignoscere quos valetudo causaria severioribus addicit legibus. Has si quis contempserit, imprudentiæ suæ pœnas luet: peribit partium vigor: hærebit visceribus labes vix aut nunquam eluenda: corruet sanitas suis malefulta adminiculis. Non aliunde plus est insidiarum vitæ, quàm ex cibo & potu. Igitur suæ valetudinis cupidus inquirat præcipuè quo alimento pasci, quem laticem potare debeat, ità enim diæta temperanda ut dissolvendis alimentis, roborandis fibris, tuendæ diaphoresi, ciendis urinis, cæterisque secretionibus ad naturæ votum dirigendis; nec non (quod sanitatis condimentum est,) mentis hilaritati consulatur.

II.

NUTRITIONE & secretionibus valemus & ægrotamus. Nutritio est succi alibilis texturæ partium applicatio. Succi tenuati ablegatio in variæ diametri tubulos secretio est. Nutricatûs & secretionum materiam alimenta subministrant, hæc talia sint quæ facile subigantur, & queis tritûs adjuventur instrumenta; sic edulia liquescent in chymum laudabilem, ex hoc exurget eximiæ notæ chylus. Ex chylo sanguis, ex sanguinis *Eucrasiâ* ejusdem circuitio facilis; ab expedito sanguinis circuitu nutritio atque secretionum series. Ad singula corporis puncta sanguinei laticis appulsu, partes irrorantur, crescunt, resarciuntur, firmantur. Dùm sanguinea massa per exilissimorum tubulorum anfractus innumeros urgetur; hìc serum, illìc lympham, ibi bilem, alibi semen prolificum deponit, aut in hæc per multifariam elaborationem, mutatis molecularum superficiebus, abit. Assumptorum pars itaque solidescit; pars inutile pondus excernitur; pars pluribus functa muniis, redit ad cor iterum elaboranda. Hæc dùm naturali tenore & ordine peraguntur, stat sanitas, vigetque: verùm labefactatur facilè si quid solidarum partium robur & elaterium evehat nimis, deprimat aut invertat, inde liquidorum crasis pervertatur. Ut istud periculi minantur aër male temperatus, labor improbus aut segnities, somnus longior vel brevior, excernendorum retinendorumve copia ut supra sic infra naturæ modum, abnormes motus animi, cibus uberior vel parcior; ità noxam non minorem inferre potest functionum integritati potûs quantitas vel qualitas malè definita.

III.

POTUS ac cibi eâdem fere necessitate urgetur hominum genus. Variæ regiones varia potionum genera parant suis accolis. Hæc fecit cupido vini, vel dulcis aquæ penuria. Ex vini æmulis liquoribus alii aliis salubriores; nulli æquiparandi vino, nec ipsummet vinum aquæ eximiæ componendum. Non ideo tamen illa omnibus Lyæi dona. Hæc fugiant Arthriticis vel Rheumaticis cruciatibus, morbis imflammatoriis, & Hæmoptoë obnoxii: hæc vitent quorum præcordia æstuant, & qui Asthmate sicco tentantur: his valedicant quibus caput dolet assiduè (*a*) non jejunis (*b*), & quos tussis sicca molestat; & quos fugit somnus facilis. Qui verò firmâ gaudent valetudine, qui multo labore corpus exercent, qui parciùs mingunt, (*c*) queis inest uberior pituita, aut deest Diaphoreseos copia nauralis, hi habitâ ratione temperamenti & tempestatum, lætifico misceant Baccho pocula. Pueri dilutius, juvenes dilutum, senes meracius bibant (*d*). Quantitas ex siti definienda. Autumno & hyeme minor sed

(a) *Hipp. de affect.*
(b) *Cels. 1. c. viij.*
(c) *Hippocr. de diatâ.*
(d) *Cels. cap. iij.*

meracior, vere diluta, æstate dilutissima fit potio (*e*). In vino salubritatem cum voluptate conjunctam quæris? Eligas odore fragrans, tenue, rubens pellucidum, leniter pungens, quale est * *Abalonense*. Hôc nullum suavius, salubrius nullum profert Burgundia: vires recreat, & instaurat, alimenta solvit; secretiones omnes sollicitat, exhilarat mentem, roborat facultates omnes.

(e) *Cels. ibid.*

* Vin d'Avalon.

IV.

NON diluendis cibis tantùm potio necessaria, sed & adjuvando ventriculo, cujus est alimenta in pultem fluidam convertere. Obstat huic operi duplex præsertim visceris hujus vitium: Innata videlicet fibrarum Elasticitas, aucta, vel imminuta. Caliditatem & frigiditatem dixêre veteres: Emendari vitium prius aquâ postulat. *Calidis* enim *naturis aqua potus* (*a*), & quia *calor concoctionem prohibet*, *aqua frigida stomacho prodest* (*b*). *Stomacho autem laborantibus* ob fibrarum inertiam, (en frigiditatis vitium) non aqua sed vinum bibendum est (*c*) *Prodest* enim *adversùs tardam concoctionem vinum bibere* (*d*) Unde vino hæc energia? accipe. *Vina acida*, inquit Coüs, *frigefaciunt, & attenuant, & humectant; frigefaciunt & attenuant, humiditatis evacuationem à corpore facientia* (*c*) *Humectant autem per aquam unà cum vino ingredientem. Abalonense* vinum aquâ multâ temperasti? Habes & jucundum & salutiferum quod descripsit medicinæ princeps. *per aquam unà cum vino ingredientem*, & quam multam suscipit, cibos attenuat, dissolvit, diluit. Modico sale & sulphure quibus constat mixta potio suaviter acida, æsophagi & ventriculi fibras blandè vellicando salivam & liquorem gastricum elicit; robur addit ventriculis pigrioribus quo vegetiùs oscillent, ingesta terant impensiùs. Hinc lacteus emergit cremor lactea facile subiturus vasa. Chylosi perficiendæ feliciter adlaborasse, universis functionibus consuluisse est. Quò magis enim alimentorum partes triturâ dissociatæ, tenuatæ, & evolutæ fuerint, eò faciliùs arteriarum repercussionibus millies repetitis cedent. Ecce jam succos secerni habiles in hepate, in renibus, aliisque incerniculis; vel in spiritus nervorum abire, aut tenues in auras vanescere per inconspicua cutis spiracula. Nec vini putes virtutem in stomacho sepultam & extinctam. *Frigefacit vinum, humiditatis evacuationem faciens.* Actuosæ nimirùm & summè mobiles ipsius moleculæ salino-sulphureæ sanguineam molem, cui admiscentur, diverberant, incidunt, dividunt, eliquant. Vasorum parietes punguntur intereà, & ad crebriores fortioresque oscillationes exstimulantur. Hujusmodi auxiliis & incitamentis fit liquorum circuitus celerior, cuique incerniculo, excretoriove frequentior fit sanguinis appulsus, proindeque uberior secretio. Sanitatis causam agnoscis: functionum omnium tenes originem; nulla enim est quæ ad secretiones non referatur.

(a) *Hipp. Popular. vj.*

(b) *Cels. c. 9.*

(c) *Id. c. viij.*

(d) *Id. ibid.*

c(e) *Hipp. de diatâ, l. 2.*

V.

AT nullius non mali seminarium Bacchus est; viscera torquet, adurit, appetentiam tollit. Ità est equidem, si, reluctante temperamento, voluptati potiùs quàm necessitati tribuatur. Quibus verò fessa labore corpora reficere, torpentem stomachum excitare; tardiori naturæ calcar addere, varias per artes ingenia ducere est animus, ii fidentèr assurgant Baccho: haud fallent ipsius munera. Hæc subitò per artus diffusa subitò vires recreant; ventriculi spiras languentes exsuscitant, firmant,

exercent : Laboranti naturæ ferunt opem, dùm ſuccos inertes excutiunt per alvum, veſicam, & cutis poros eliminant, *vinum enim habet quid catharticum* (*a*), mentis aciem acuunt, addocent artes, dùm ſanguinem fluidiorem efficiunt, ſpiritus animales generant, increpant morantes, ſtagnantes agunt. Inſtabis aquam omni animantum generi datam in potum. Quis hiſcere contrà ? Inſontibus robuſtiſque corpore & animo primis parentibus aqua, ut in deliciis erat, ita placandæ ſiti idonea, atque ſufficiens : At heu! non modò mors ultrix puniet auſus parentum, ſed illi ſcelere debilitati, nefaſto gignent die ut nequiores, ſic debiliores, mox daturos progeniem vitioſiorem atque imbecilliorem. Hinc anguſtius vitæ ſpatium ; hinc mortalibus cohors morborum incubuit. Verùm generis ſui ſortem iniquam miſeratus hominum Sator corpori medelam indulſit, quâ molliret etiam ægritudines animi. Vinum intelligis quod *lætificat Deum & homines* (*b*), quod ſollicitis animis onus eximit, (*c*) triſtitiam, vitæque labores levat. Quem igitur curæ ambiguæ, aut ſpes incerta futuri, ſollicitum habent, ne deficiat animo ; en adeſt lætitiæ Bacchus dator, ſpes donare novas largus, amaraque curarum eluere efficax (*d*) ; Tu ſapiens ſumas jocoſi Liberi dona ; tùm venient riſus ; tùm dolor, rugaque frontis abibit (*e*)

(a) *Hipp. de diætâ, l. 2.*
(b) *Judicum c. 9. v. 13.*
(c) *Horat. l. 1. Ep. 5. ad Turquatum.*
(d) *Horat. l. 4. Od. 12. ad Virgilium.*
(e) *Ovid. Art. Amat. l. 1.*

Ergò Vini potus ſalubris.

Proponebat Pariſiis, DIONYSIUS-CLAUDIUS DOULCET, Pariſinus ; Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1745, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1745.